

facere et docere. Primum intulit: *facere*, deinde subiunxit: *docere*⁵⁰. Quos sequi debet omnis, qui fideliter Christo ministrare in ecclesia desiderat. Hi etiam modis omnibus declinare debent, ne agant, quod prohibent, ne in illud incidant, quod dominus per prophetam exprobrans dicit: *Populus*⁵¹ *iste labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*. Perversae enim consuetudines difficile corriguntur⁵², quarum longa consuetudo, quod peius est, etiam pro auctoritate habetur.

Quam ob rem quod in baptismo generaliter promisimus, diligentissime necesse est conservemus, id est pompam mundi, quae est, et pompam diaboli a nobis funditus respuamus⁵³, maxime quorum doctrinam et exemplum caeteri imitari debent. Pompa autem mundi est omnis superfluitas vanis insidens mentibus usibusque, de qua crescit elatio, quam multotiens honestati vel compositioni solemus adscribere⁵⁴. Decet praeterea dei sacerdotes amicitiam fugere mundi, quo a seipsis caeteros instruant. Unde et dominus eos, quos elegit, a mundo segregavit dicens: *Ego*⁵⁵ *vos elegi de mundo et quia non estis de mundo, propterea odit vos mundus*. Et beatus Ioannes dicit: *Nolite*⁵⁶ *diligere mundum neque ea, quae in mundo sunt, quia qui diligit mundum, non est caritas patris in eo*. Hinc et Iacobus ait: *Amicus*⁵⁷ *huius saeculi inimicus dei constituitur*. Necnon et beatus Gregorius in expositione evangelica: *Levate capita*⁵⁸ *vestra, id est exhilarate corda, quia dum finitur mundus, cui amici non estis, prope fit redemptio, quam quaesistis*. Et post pauca: *Absit*⁵⁹ *enim, ut fidelis quisque, qui deum videre desiderat, de mundi percussione lugere eorum est, qui radices cordis in eius amore plantavere, qui sequentem vitam non quaerunt neque esse suspican-*

⁵⁰) Vgl. Beda, Expositio super act. apost. c. 1 (M. L. W. Laistner, Bedae Venerabilis Expositio Actuum Apostolorum [1939] S. 6; vgl. Migne, PL 92 Sp. 939 D).

⁵¹) Is. 29, 13.

⁵²) Vgl. Synode v. Paris (829) I c. 51: *Quamquam ergo consuetudines perversae non facile corrigantur ...* (MGH Conc. 2/2 S. 645 Z. 3 f.).

⁵³) J. Deshusses, Le sacramentaire grégorien (1971) S. 378; vgl. L. Eisenhofer – J. Lechner, Liturgik des römischen Ritus (1953) S. 270 f.

⁵⁴) Vgl. Hinkmar, Ad presbyteros Remensis parochiae c. 8 (Migne, PL 126 Sp. 109 A).

⁵⁵) Joh. 15, 19.

⁵⁶) 1. Joh. 2, 15 (in Version Gregors d. Gr., Migne, PL 76 Sp. 1080 D).

⁵⁷) Jac. 4, 4 (vgl. Migne, PL 76 Sp. 1079 C).

⁵⁸) Gregor d. Gr., Homil. in evang. 1, 3 (Migne, PL 76 Sp. 1079 B).

⁵⁹) Ebd. (Sp. 1079 BC).

⁶⁰) Ebd. (Sp. 1079 C).